DE CICERONE EPICUREAE DOCTRINAE INTERPRETE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS PHILOLOGORUM ORDINIS
ALMAE LITTERARUM UNIVERSITATIS

RUPERTO-CAROLAE

SCRIPSIT

CAROLUS HARTFELDER

CAROLIRUHANUS.

CAROLIRUHAE.

TYPIS G. BRAUN.

MDCCCLXXV.

Epicurus quid de voluptate docuerit, cum primo libro de finibus bonorum et malorum composito Cicero accurate et copiose exposuerit, disceptationem ita instituemus, ut inde ordiamur. quo facto de posteriore parte quinti libri Tusculanarum disputationum, qua Epicuri sententia illustratur, breviter dicendum erit. quorum librorum fontibus investigatis cum secundo libro de finibus bonorum et malorum Cicero, quid sit iudicandum de Epicuri disciplina, demonstraverit, eius quoque libri fontes nobis erunt investigandi. deinde transibimus ad secundum Tusculanarum disputationum librum, quo Cicero Epicuri sententiam dolorem esse summum malum refutat. sed antequam ad rem ipsam accedimus, demonstrabimus

Ciceronem Latinis fontibus non usum esse.

Ex omnibus Graecae philosophiae sectis Epicuri secta fuit prima, cuius doctrina atque decreta litteris Latinis erant illustrata. non solum Ciceronis temporibus multi fuerunt Epicurei Romae et tota Italia, sed iam multis annis ante. de eis Romanis, qui ante Ciceronem de disciplina Epicurea scripserunt, non nisi ex eis, quae Cicero memoriae tradidit, iudicare possumus, cum neque opera integra neque fragmenta eorum adhuc exstent. loci, quibus Cicero eos descripsit, sunt Tusc. I, § 6. II, 7. 8. IV, 6. 7. (de fin. I, 8). Acad. post. I, 5. 6. nomina eorum scriptorum sunt C. Amafinius et Rabirius, quibus Catius Insuber in epist. ad fam. XV, 16, 1. 19, 1 additur.

Multos alios, qui post Amafinium eiusdem aemuli

rationis Italiam totam occuparunt, ignoramus, quod eorum nomina Cicero non attulit. qui homines, quamquam non satis eruditi erant, multos libros Latinos philosophiam Epicuream continentes scripsisse dicuntur, sed „nulla arte adhibita de rebus ante oculos positis vulgari sermone“ disputaverunt. cum autem quae recte senserunt, polite eloqui non possent, neque disponere aut illustrare cogitationes suas nec lectores allicere potuerunt. quod illi ipsi professi sunt se „neque distincte neque distribute neque eleganter neque ornate dicere,“ Cicero eos solum ab eis, qui idem sentirent, legi nobis tradidit. ipse autem nunquam eos legit, cum praeterea „mali interpretes“ essent. nec est, cur iudicio eius diffidamus. cum enim philosophiam in Italiam transducere sibi proposuisset, nullo modo fieri potuit, ut opera illorum, quae iam tota Italia nota erant et ab Epicureis solis laudabantur, denuo in operibus suis conscribendis exhauriret. quam sententiam Cicero ipse confirmavit dicens: „quare si aliquid oratoriae laudis nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiae fontis aperiemus, ex quibus etiam illa manabant.“ (Tusc. I, 6). quis autem dubitat, quin hi fontes fuerint Graeci, cum de fin. I, 6 se non solum interpretum munere fungi, sed etiam ea, quae ab eis (h. e. a. Graecis) dicta essent, tueri velle dicat?

Praeter illos scriptores disciplinae Epicureae, quos supra laudavi, Lucretio quoque poeta Cicero uti potuit. quem Ciceroni notum fuisse constat, cum eum laudet in epist. ad Quint. fr. II, 11, 4, qui locus quamvis multas interpretibus turbas moverit, de nomine saltem Lucretii certissime constat. accedit, si Hieronymo fidem habebimus, quem Suetonio in Chronico usum esse notum est (Euseb. Chron. ad a Abr. 1923), alterum testimonium, quo Cicero ipse poema a Lucretio relictum emendavisse dicitur. sed Lucretium ad Epicureorum philosophiam exponendam Cicero adhibuisse non videtur, non

solum propterea quod Lucretium neque dilexisse neque magni aestimavisse videtur, sed etiam quod in ea philosophiae parte, quam nos tractamus, e Lucretii carmine nihil fere haurire potuit. Lucretius enim ea, quae Epicurus de natura rerum, non quae de voluptate docebat, carmine suo exposuit. quamquam nonnullis locis carminis (I, 1. II, 966. III, 252. IV, 1081. 1259 etc.) vocabulum voluptatis invenimus, tamen nusquam quae sit natura voluptatis ex Epicuri sententia, copiose demonstravit, quod hoc in carmine componendo sibi non proposuerat. propter omnes has causas, quas attulimus, constat eos libros, quibus Cicero fontibus usus sit, non Latinos, sed Graecos fuisse.

Erat autem Cicero iam ab adulescentia a philosophis doctrina Epicuri institutus, ut ipse nobis narrat. primum enim Phaedro Epicureo magistro usus est. postea aliis disciplinis cognitis Cicero eum ut philosophum non magni fecit, sed semper dilexit eiusque humanitatem laudavit („nam Phaedro nihil elegantius, nihil humanius“) de nat. deor. I, 93. ad fam. XIII, 1, 2.

Postea autem cum Athenis una cum Attico amico litteris operam daret, Zenonis philosophi Epicurei scholis saepe interfuit. qui non solum omnium Epicureorum tum erat acutissimus sed etiam distincte, graviter, ornate disputabat (de nat. d. I, 93. de fin. I, 16). eum inter suos excelluisse optime ex eo cognoscere possumus, quod Cicero cum multis annis post Tusculanas disputationes conscriberet, doctrinae eius recordatus ad Epicuri sententiam explicandam adhibuit eius interpretationem doctrinae Epicureae. legimus enim Tusc. III, 38: „hoc dicit et hoc ille acriculus me audiente Athenis senex Zeno, istorum acutissimus contendere et magna voce dicere solebat ..... habes formam Epicuri vitae beatae verbis Zenoni expressam, nihil ut possit negari.“ hoc loco Ciceronem Zenonis non librum, sed enarrationem significare apparet. aliis quoque locis

librorum de philosophia scriptorum fortasse Cicero ea, quae a magistris acceperat, tradidit, sed non sunt nobis argumenta diiudicandi, quos libros scholis, non libris philosophorum debeamus. nihilominus autem manifestum est omnia fere, quae Cicero de philosophia composuerit, e libris, non ex enarrationibus Graecorum philosophorum hausta esse. firmissimum in Tusc. V, 88—90 exemplum habemus interdum Ciceronem vel imprudenter et inconsiderate descripsisse Graecos. quamquam enim saepissime Epicurum eiusque discipulos vexat (de nat. d. I, 72. 73. 85. 93. II, 46. de off. III, 39. 116. de fin. I, 6. Tusc. V, 26. 31. 73. 74 et multis aliis locis), tamen eo loco, quem supra laudavi, Epicurum defendit idque in ea re, quam ipse ante reiecit (Tusc. II, 44. 45). quis, qui Ciceronem legerit, nescit ex omnibus sectis philosophiae sectam Epicureorum ei maxime invisam fuisse, multis in rebus eum cum Stoicis consensisse eosque magnis laudibus exornavisse? si vero l. l. a Cicerone Epicurei „nostrates philosophi“ et Stoici „isti grandiloqui“ appellantur, sequitur, ut hoc loco philosophi Epicurei librum excerpserit Cicero eumque ad verba fere expressum transtulerit in sermonem Latinum.

Et quomodo libros de philosophia conscripserit, Cicero ipse dixit in ep. ad Attic. XII, 52: „dices, qui talia conscribis? *ἀπόγραφα* sunt, minore labore fiunt; verba tantum affero, quibus abundo.“ sed ea verba, cum in epistula extent, non sunt iniquius premenda, neque Atticus ipse, qui Ciceronem cognovisset, non sine grano, ut aiunt, satis interpretatus esse statuendus erit: multo certe ad rem accommodatius Cicero de off. I, 6 profitetur: „sequimur ... Stoicos non ut interpretes, sed ut solemus, e fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur, hauriemus.“ (cf. de off. II, 60. III, 7). non est, quod Ciceroni hoc loco non credamus, praesertim cum se omnia haec non exco-

gitavisse, sed descripsisse tam sincere confiteatur. eadem fere in eo libro, cuius fontes primum accurate investigaturi sumus, invenimus, de fin. I, 6. 7: „quid, si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab eis, quos probamus, eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus“, et postea (§ 7): „quamquam, si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetae fabulas, male, credo, mererer de civibus meis, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem. sed id neque feci adhuc nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto.“ quorum prior locus rationem, quam Cicero in philosophiae libris secutus est, accuratissime depingere mihi videtur: Cicero non suas sententias, sed Graecorum philosophiam tradidit, tamen non ut interpres omnia ad verbum in Latinum sermonem vertit, sed ita scripsit, ut libera ratione res ex Graecis hauriret et sententiis electis ordinem scribendi ipse adiungeret.

Quod autem suo se iudicio uti et suum scribendi ordinem adiungere dicit Cicero, hoc significare videtur: nulli se disciplinae addictum ex omnibus philosophorum scriptis ea, quae iudicio ipsius conveniebant, elegisse ita, ut in dialectica Academicos, Stoicos in ea philosophiae parte, quae de vita et moribus est, in aliis partibus alios sequeretur. in omnibus libris de philosophia compositis rem ita tractavit, ut semper versus admisceret orationi. sane etiam hac in re Graecorum secutus est exemplum, non Dionysii Stoici, quem Athenis audierat, qui poetas „quasi dictata nullo dilectu, nulla elegantia“ laudabat, sed Philonis, qui „et lecta poemata et loco“ adiungebat (Tusc. II, 26). ut hi Graeci poetas Graecos, sic Cicero Latinos plerumque attulit. ac non solum poetarum locis, sed etiam exemplis ex historia deductis philosophi doctrinas illustravit. cum antem maxime studeret, ut Romae quoque philosophia coleretur utque libri philosophorum a Romanis lege-

rentur, plurima exempla e narratione rerum a Romanis gestarum delegit vel ut ipse dicit: „testes ex annalium monumentis excitavit“ (de fin. II, 67). quamobrem omnes partes, quae haec Romana exempla continent, in eius scriptis a Cicerone ipso sunt allatae, (non ex aliis fontibus haustae), ut magna pars primi libri et secundi de finibus (I, 12. 23. 24. 34. 35. II, 54—58. 60—67. 70. 72. 73. 74).

Qui sunt fontes primi libri de finibus bonorum et malorum compositi?

Omnia fere, quae Cicero de philosophia composuit, ita instituit, ut complures homines inter se disputantes faceret. hanc existimavit Socraticam esse rationem, ut is, qui vellet audire aliquid, primum id, quod sibi videretur, diceret, tum alter sive tertius contra diceret (Tusc. I, 8). in qua ratione cum certamen disserentium esset, ea quae singuli afferebant, e diversis fontibus erant haurienda. quare verisimillimum est Ciceronem alios fontes ad primum librum, qui quod Epicurus de summo bono h. e. de voluptate docebat, continet, alios fontes ad secundum librum, qui de hac sententia iudicet, adhibuisse. itaque primum quaeremus, quos libros Cicero in primo libro componendo exhauserit.

Cum autem memoriae non tradiderit, (ut in libris de officiis dixit se e Panaetii libro libavisse), qui sint ei, quos secutus sit, nobis rem ipsam respicientibus fontes erunt investigandi. argumentum igitur primi libri hoc est ut qui sit ex Epicuri sententia finis bonorum et malorum enarretur. apud Diogenem Laertium X, 27 reperimus Epicurum praeter multos alios libros scripsisse librum *περὶ τέλους* h. e. de fine bonorum, et § 30 legimus: *τὸ (δὲ) ἠθικὸν τὰ περὶ αἱρέσεως καὶ φυγῆς. ἔστι δὲ καὶ ἐν ταῖς περὶ βίων βίβλοις καὶ ἐν ἐπιστολαῖς καὶ ἐν τῷ περὶ τέλους.... τὸ δ' ἠθικὸν περὶ αἱρετῶν καὶ φευκτῶν καὶ περὶ βίων καὶ τέλους.* unde apparet quondam Epicuri librum, qui

eandem rem tractaret, quam Cicero primo libro de finibus composito tractavit, exstitisse (de fin. I, 29. 30). voluptas enim cum sit summum bonum (= τέλος), est expetenda (αἱρετή), sed dolor ut summum malum est repellendus sive fugiendus (φευκτός).

Hunc librum ab Epicuro scriptum esse haud ignoravit Cicero, cum eum Tusc. III, 41 laudarit: „in eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam“ (sc. Epicuri) .... „fungar enim iam interpretis munere, ne quis me putet fingere — dicis haec“ etc. et postea § 42: „totusque liber, qui est de summo bono, refertus est et verbis et sententiis talibus etc.“ quo loco demonstratur etiam in II de fin. 48 Epicuri eundem librum significari, ubi legimus: „si enim ad honestatem omnia referantur neque in ea voluptatem dicant inesse, ait (sc. Epicurus) eos voce inani sonare (his enim ipsis verbis utitur) etc.“ dubitari non potest, quin „inani voce sonare“ idem sit atque „voces inanis fundere,“ quae vocabula Cicero ex Epicuri libro de finibus composito accurate vertit (Tusc. III, 42. V, 73). qui liber cum § 44 refertus voluptatibus esse dicatur et cum praeterea Epicurus summum bonum in voluptate posuerit, probabile est eundem a Cicerone de div. II, 59 significari, quo loco Epicuri liber de voluptate appellatus est. quamquam autem in primo de fin. hunc Epicuri librum laudatum non invenimus, tamen constat in II de fin. eundem § 20 significari: „(Epicurus) audet dicere, ne suspicari quidem se ullum bonum seiunctum ab illo Aristippeo genere voluptatis, atque ibi hoc dicit, ubi omnis eius est oratio de summo bono.“ quis autem dubitet, quin totam Epicuri de summo bono doctrinam liber περὶ τέλους continuerit? deinde de fin. II, 7 legimus: „nam interdum nimis etiam novit (sc. Epicurus), quippe qui testificetur, ne intellegere quidem se posse, ubi sit aut quod sit ullum bonum praeter illud, quod cibo et po-

tione et aurium delectatione et obscena voluptate capiatur", qui locus explicandus est non solum ex Tusc. III, 41. 42, sed etiam e Diog. L. X, 6: „ἔν τε τῷ περὶ τέλους γράφειν (sc. Ἐπίκουρον) οὕτως · οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω, τί νοήσω τἀγαθὸν ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονάς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι᾽ ἀφροδισίων καὶ τὰς ἀκροαμάτων καὶ τὰς διὰ μορφῶν." eadem pluribus verbis sunt dicta et idem fons allatus Athen. VII, p. 280. a (= XII, p. 546. e).

Sed alium librum Epicuri Cicero de fin. II, 20 attulit, „in quo breviter comprehensis gravissimis sententiis quasi oracula edidisse sapientiae (sc. Epicurus) dicitur," et qui inscribitur κύριαι δόξαι Ἐπικούρου. idem liber etiam de fin. II, 100 et de nat. deor. I, 85 (cf. I, 45) affertur. quas sententias breves Epicuri Diogenes Laertius decimo libro operis sui (§ 139) adiunxit, cumque prima sententia eadem sit, quam Cicero de nat. d. I, 85 primam fuisse dicit, verisimillimum est eundem librum eumque eodem ordine, quo Ciceronem, adhuc nos habere. (sane concedendum est ordinem sententiarum minus probabilem et ab Epicuro ut videtur alienum iam ante Ciceronem perturbatum esse). has sententias Epicurus eo consilio scripsisse videtur, ut omnes, qui se sequerentur, scirent, quid sibi esset faciendum vel fugiendum. compluribus autem locis ea, quae sententiae vel κύριαι δόξαι docent, tum eisdem tum aliis verbis expressa videmus: de fin. I, 32 = Diog. L. X, 141. — I, 37 = X, 139. 144. — I, 40 = X, 139. 140. — I, 42 = X, 140. — I, 45 = X, 149. — I, 45 = X, 144. — I, 50 = X, 144. 150. 151. — I, 50 = X, 151. — I, 63 = X, 144. 145. 142. — I, 65 = X, 148. — I, 68 = X, 148. —

Sed haec omnia quamquam ita sunt, tamen audacius iudicaremus, si duos libros Epicuri, de quibus diximus, fontes Ciceronis fuisse existimaremus, priusquam alias quasdam quaestiones instituissemus.

Dixit Cicero de fin. I, 44 (Tusc. V, 93) Epicurum divisisse cupiditates in tria genera, quorum primum

essent cupiditates naturales et necessariae, alterum naturales nec necessariae, tertium nec naturales nec necessariae. eadem divisio in Epicuri sententiis „breviter comprehensis“ (Diog. L. X, 149) invenitur: *τῶν ἐπιθυμιῶν αἵ μέν εἰσι φυσικαὶ καὶ ἀναγκαῖαι, αἵ δὲ φυσικαὶ καὶ οὐκ ἀναγκαῖαι, αἵ δὲ οὔτε φυσικαὶ οὔτε ἀναγκαῖαι* etc. sed ea cupiditatum divisio a Cicerone valde reprehenditur de fin. II, 26: eam non esse elegantem; Epicurum ex duobus generibus, quae revera essent, fecisse tria. ipse hanc esse veram divisionem existimavit: duo genera cupiditatum esse, naturales et inanes; naturalium duo, necessarias et non necessarias. quis autem non mirabitur apud Diog. X, 127 Epicurum scribere ad Menoeceum: *ἀναλογιστέον δ' ὡς τῶν ἐπιθυμιῶν αἵ μέν εἰσι φυσικαὶ, αἵ δὲ κεναὶ, καὶ τῶν φυσικῶν αἵ μὲν ἀναγκαῖαι, αἵ δὲ φυσικαὶ μόνον* etc.? prorsus igitur eandem divisionem, quam Cicero desideravit, iam Epicurus fecit. inde sequitur, ut illa Epicuri epistula non fuerit fons Ciceronis.*

Jam postquam de voluptate petenda et dolore fugiendo Torquatus Epicureus dixit, Cicero eum pergentem facit (de fin. I, 31): „sunt autem quidam e nostris, qui haec subtilius (sc. quam Epicurus ipse) velint tradere et negent satis esse“ etc. et deinde: „alii autem, quibus ego (sc. Torquatus) assentior etc.“ — hi „quidam e nostris“ et „alii“ sunt philosophi Epicurei. accedit, quod praeterea tria genera philosophorum Epicureorum,

*) Cum in hac divisione *φυσικὸς* et naturalis, *κενὸς* et inanis miro modo sibi respondeant, deinde cum nemo dubitet, quin *κύριαι δόξαι* Epicuro ipsi sint tribuendae, ei qui singula et externa solum respicit, epistula Epicuri ad Menoeceum subditicia esse videri possit, ea ratione scripta, ut Ciceronis vel aliorum crimina in Epicurum coniecta refutentur, sed quod praeter hoc unum argumentum alia reperire non potui, mihi quidem audacius ille iudicare videtur, qui hanc epistulam ab Epicuro esse abiudicandam putet.

qui dissentiebant, quid sit amicitia, a Cicerone laudantur (de fin. I, 66. 69. 70). apparet haec et omnia, quae ab his exposita esse dicantur, ex Epicuro ipso exscripta esse non posse. cum autem probabile non sit Ciceronem in uno primo libro de finibus composito, quo voluptatem accurate exposuit, compluribus diversis fontibus usum esse, quod unam solam personam Torquati disserentem induxit, Cicero ex Epicuri ipsius scriptis libavisse non videtur primum librum de finibus. praeterea pauca paragraphum 31 antecedunt; si vero usque ad § 31 Epicurum ipsum exhausisset, quis arbitrari potest Ciceronem fontem, quo vix usus erat, iam depositurum fuisse? cum autem multi Epicurei post magistrum essent, qui doctrinam eius litteris illustrarent, Cicero unum ex his secutus esse videtur; quae sententia eo confirmatur, quod ipse de sententiis Epicureis, quarum auctores „hi recentiores" nominantur, dicit (de fin. II, 82).

Quis autem Epicureus ille, quo Cicero usus est, fuit? potestne fieri, ut nomen eius, quamquam Cicero fontem reticuit, reperiamus?

Consideremus, quid dixerint „quidam e nostris" (de fin. I, 31), quos supra laudavimus: „sunt quidam e nostris, qui haec subtilius velint tradere et negent satis esse, quid bonum sit aut quid malum, sensu iudicari, sed animo etiam ac ratione intellegi posse, et voluptatem ipsam per se esse expetendam et dolorem ipsum per se esse fugiendum. itaque aiunt, hanc quasi naturalem atque insitam in animis nostris inesse notionem, ut alterum esse appetendum, alterum aspernandum sentiamus." sed haec opinio valde discrepat ab Epicuri decreto, qui existimaret scientiam bonorum et malorum exoriri a sensibus, id quod vocabulo *πρόληψις* significavit. *πρόληψις* autem apud. Diog. X, 33 definitur: *μνήμη τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος.* sensibus nostris est fides habenda, qui nos non fallunt: Lucr. IV, 480 etc. (Diog. X, 32). sed hi Epicurei

eadem ratione, qua Stoici deos esse demonstrabant, notionem boni et mali nobis esse naturalem et insitam demonstrare volebant. ita Cicero philosophum Stoicum exponentem facit in libro II de nat. d. § 12: „itaque inter omnes omnium gentium summa constat: omnibus enim innatum est et in animo quasi insculptum esse deos.“ quare apparet hos Epicureos tales fuisse, quales quamquam alieni ut omnes Epicurei a philosophia Stoica erant, tamen magna huius sectae auctoritate commoti Epicuri disciplinam paululum mutarent. Fuisse Epicureos eius generis Torquatus Epicureus ipse (apud Ciceronem de fin. I, 69) auctor est: „sunt autem quidam Epicurei timidiores paulo contra vestra convicia (h. e. Stoicorum), sed tamen satis acuti, qui verentur etc.“ quorum sententia solum initium amicitiae propter voluptatem fieri, deinde autem amorem efflorescere, ut amici propter se et virtutem amentur, non multum ab eo, quod Stoici de amicitia dixerunt, discrepat. nam etiam Stoici docebant amicos non propter utilitatem sive voluptatem a nobis diligendos esse, sed propter eos ipsos, quod eisdem virtutibus studerent (Stob. ecl. II, 184. Cic. de nat. d. I, 121).

Jam Cicero intellexit sententiam „timidiorum Epicureorum“ doctrinae magistri: „utilitatis causa amicitia est quaesita“, contradicere. nam dicit de fin. II, 82: „attulisti (sc. Torquate) aliud humanius horum recentiorum nunquam dictum ab ipso illo (sc. Epicuro), quod sciam, primo utilitatis causa amicum expeti, cum autem usus accessisset, tum ipsum amari per se, etiam omissa spe voluptatis.“

Quare verisimillimum est fontem Ciceronis fuisse Epicureum scriptorem illius temporis, quo secta Epicurea paulum a magistro recessit.

Quando autem Epicurei a severitate magistri paulum deficientes respexerunt alias philosophiae disciplinas? quando magna auctoritate Stoicorum aliorumque philo-

sophorum ita sunt commoti, ut doctrinam magistri accuratius definirent et coloribus aliorum philosophorum exornarent?

Quod tempus ut reperiamus, necesse est nos paulo longius res repetere. postquam in Graecia ex initio secundi saeculi a. C. genuina vis philosophandi relaxata est, magistri sectarum illius temporis asperitatis temporum priorum obliti sunt. cum antea is fuisset mos philosophorum, ut eas res, quibus differebant ab aliis philosophis, augerent et amplificarent, ex hoc tempore neglecta discrepantia ea, quae aliis quoque placebant, presserunt. quae duabus de causis facta sunt, primum quod omnes illi magni philosophi, qui suas disciplinas ipsi excogitaverant et auctores sectarum erant facti, et proximi discipuli eorum mortui erant. nam auctores sectarum magis propensi sunt ad illos refutandos, qui se non sequantur, quam discipuli auctorum. deinde autem ex quo Roma cum totum fere orbem terrarum in ditionem suam redegit tum imprimis Graeciam subegit, Romani magno litterarum studio imbuti scholis Graecorum usi sunt. Romanorum autem ingenium potissimum ea cognoscere studebat, quae ad utilitatem et usum vitae conferebant (cf. de leg. I, 53). quare paulatim controversiae illae infestissimae priorum temporum evanuerunt atque omnes fere philosophi secundi a. C. saeculi, quos ex Ciceronis libris Romanorum magistros et amicos fuisse novimus, non unius disciplinae legibus addicti fuerunt, sed ex compluribus disciplinis ea, quae eis commodissima esse videbantur, libaverunt, ut Antiochus Ascalonita, quamquam Academicus erat, tamen Peripateticos et Stoicos diligebat. legimus Acad. II, 132: „appellabatur Academicus; erat quidem, si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus,“ et de fin. V, 14 (16) „Antiochus antiquorum Peripateticorum sententiam de summo bono mihi videtur persequi diligentissime, quam eandem Aristotelis fuisse et Polemonis docet“ (cf. praeterea de nat.

d. I, 16. Acad. II, 131. 133). eadem ratione Panaetius Rhodius quamquam saepe „gravissimus Stoicorum“ vel „princeps Stoicorum“ appellatur (de off. II, 51. de div. I, 6. Acad. II, 107), decretis aliarum sectarum usus est; ita legimus apud Ciceronem (de fin. IV, 79): „quam illorum (sc. Stoicorum) tristitiam atque asperitatem fugiens Panaetius nec acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavit, fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior, semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicaearchum, ut ipsius scripta declarant etc.“ (cf. praeterea de off. II, 51. Acad. II, 107. de div. II, 88. Tusc. I, 79 et aliis locis). cuius discipulus Posidonius eandem viam ingressus est (Zeller, Gesch. d. Philos. d. Griech. III, 1. p. 347. ed. I).

Sed constat ex omnibus sectis philosophorum Epicuri sectam fuisse durissimam, quae magistri contenta praeceptis nihil fere ex aliis haustum suae doctrinae adiunxit. attamen integram se conservare non potuit, et iam supra vidimus eam Stoicorum disciplina commotam sententiam de duabus rebus paululum mutasse. iam Ritterus demonstravit (Gesch. d. Philos. IV, p. 99 etc., impr. p. 102) Lucretium poetam a priorum severitate paulum recessisse, neque Zellero assentiri possum dicenti (Philos. d. Griechen III, 1 p. 329. ed. I): „wenn (die epicureische Schule) auch ihren Standpunkt gegen abweichende Ansichten mit Lebhaftigkeit vertheidigte, so gestattete sie doch diesen auf sich selbst so wenig Einfluss, und begnügte sich mit der Lehre ihres Stifters in so hohem Grade, ohne irgend eine erhebliche Fortbildung zu versuchen etc.“ quod iudicium Zellerus ipse in editione secunda paulum restrinxit. pace Zelleri summi viri dixerim eum neglexisse de fin. I, 31. 55. 66. etc. II, 82. quamquam hae discrepantiae non sunt maximi momenti, tamen praeteriri non debebant. firmissimum enim argumentum nobis afferunt

ne Epicureos quidem tempori, quo omnes aliae sectae mutabantur, resistere non potuisse.

Novimus autem e Cicerone ipso duos Epicureos, qui secundo et primo saeculo a. C. fuerunt. solet enim Cicero quamquam in libris de philosophia compositis raro expressis verbis profitetur, quibus fontibus usus sit, tamen nomina eorum philosophorum, e quorum libris libavit, obiter appellare. dicit autem de fin. I, 16: „nisi mihi Phaedrum, inquam (sc. Cicero), mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audivi, cum mihi nihil sane praeter sedulitatem probarent, omnes mihi Epicuri sententiae satis notae sunt etc.“ quis autem hic Phaedrus fuit? in epistula (ad Attic. XIII, 39, 2) legimus: „libros mihi, de quibus ad te antea scripsi, velim mittas et maxime περὶ θεῶν et περὶ Παλλάδος.“ ita cum Petersenio legendum esse existumo, cuius emendationem paululum correctam Orellius et Baiterus in textum receperunt. Phaedri libros περὶ θεῶν fontem fuisse, quem Cicero ad primum librum de nat. d. adhiberet, Petersenius libello demonstrare voluit (Phaedri Epicurei, vulgo anonymi Herculanensis, de natura deorum fragmentum instauratum et illustratum. 1833). sed postquam plura fragmenta voluminum Herculanensium sunt edita, et Sauppius et Spengelius demonstraverunt illa fragmenta a Phaedro esse abiudicanda et e Philodemi Epicurei libro de pietate (περὶ εὐσεβείας) sumpta esse. quamquam autem Phaedrus semel atque iterum laudatus est (de nat. d. I, 93. ad. fam. XIII, 1. 2. de fin. V, 3. de leg. I, 53), tamen praeter illum locum ex epistula ad Atticum allatum nusquam nobis traditum est, num alios et quos libros composuerit. quare editoribus librorum de fin. (ut Madvigio praef. LXII ed. II, Holsteinio, Einleitung IX) non assentior dicentibus verisimillimum esse Ciceronem primum librum de finibus e Phaedri scriptis libavisse.

Alter philosophus Epicureus, cuius nomen Cicero de

fin. I, 16 attulit, est Zeno Sidonius, discipulus Apollodori. quem cum acriculum senem nominaret, nihilo minus acutissimum Epicureorum esse dixit (Tusc. III, 38). eundem Philo Academicus, qui eodem tempore cum eo Athenis docebat, coryphaeum Epicureorum appellare solebat. (de nat. d. I, 59). ut Phaedro, ita etiam Zenone Cicero usus est magistro. ea, quae de vita beata docebat, prorsus congruunt cum eis decretis, quae primo libro de fin. sunt exposita. „contendere enim solebat (Tusc. III, 38), eum esse beatum, qui praesentibus voluptatibus frueretur confideretque se fruiturum aut in omni aut in magna parte vitae dolore non interveniente aut si interveniret, si summus foret, futurum brevem, sin productior, plus habiturum iucundi quam mali: haec cogitantem fore beatum, praesertim si et ante perceptis bonis contentus esset et nec mortem nec deos extimesceret. habes formam Epicuri vitae beatae verbis Zenonis expressam, nihil ut possit negari.“ cf. de fin. I, 29. 40. 42. 43. 49. etc. de eodem Zenone legimus apud Diog. (VII, 35): *Ζήνων Σιδώνιος τὸ γένος φιλόσοφος Ἐπικούρειος καὶ νοῆσαι καὶ ἑρμηνεῦσαι σαφής* et X, 25: *Ζήνων ὁ Σιδώνιος ἀκροατὴς Ἀπολλοδώρου, πολυγράφος ἀνήρ.*

Quae omnia respicientes dubitare non possumus, quin auctoritas Zenonis aliquanto maior fuerit quam Phaedri, de quo nihil fere memoriae traditum est et quem Diogenes silentio praeteriit. cum praeterea Zenonem multos libros composuisse manifestum sit, verisimillimum mihi esse videtur aliquem Zenonis librum fontem primi libri de finibus fuisse.

Ut autem Epicurei magistrum omni modo celebraverunt, cum imaginem eius in tabulis, poculis, anulis haberent (de fin. V, 3), ita etiam sententias magistri saepissime redintegrare ac novis libris illustrare non destiterunt (de fin. I, 6). cumque Epicurei non multum a magistro recederent, necesse erat recentiorum

scripta, quae easdem res atque Epicuri ipsius tractarent, multis in rebus prorsus congruere cum magistri libris. quare sententiam nostram illud, quod supra (p. 8 et seqq.) demonstravimus, confirmat Epicuri libros, quoad iudicare possumus, non multum rebus discrepuisse a primo libro de fin. nam Zeno Epicureus magistrum secutus est componens libros suos, ut omnes Epicurei.

Quam argumentationem haud diffiteor equidem non esse talem, ut amplius dubitari non possit, sed quoad in hac difficili re diiudicari potest, haec sententia, quam exposui, non dubito quin ceteris sit probabilior.

De fonte, quem Cicero ad quinti libri Tusculanarum disputationum partem posteriorem adhibuit.

De multis illis locis librorum, quibus Cicero nomen Epicuri et singula decreta disciplinae eius attulit, nobis non iudicandum est, quod obiter neque perpetua oratione exponuntur. sed posterior quinti libri pars in qua nonnullas Epicuri sententias perpetuo sermone expositas habemus, accuratius est tractanda. toto enim hoc libro Cicero demonstrat virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam. hanc sententiam postquam capitibus I—XXVIII multis argumentis confirmavit, ubi Posidonii philosophi librum secutus esse videtur (cf. Zietschmannus, de Tusculanarum disputationum fontibus p. 48 e. q. s.), capite XXIX denuo initium disputandi facit. iterum duabus personis A et M (quae litterae auditorem et Marcum, h. e. Ciceronem significant) utitur, ut etiam alia via procedens eandem sententiam aliis argumentis ita stabiliat, ut nemo amplius dubitare possit. de capitibus XXIX—XXXI usque ad „ordiamur etc.“ tum demum iudicabimus, cum accuratam secundi libri perscrutationem instituerimus.

Sed verbis „ordiamur ab eo, si placet etc. (§ 88)“

alium fontem Cicero describere incipit, quem — mirabile dictu — Epicurei cuiusdam librum fuisse apparet. nam quis non miretur Ciceronem, qui innumerabilibus fere locis in Epicurum eiusque discipulos invehitur et § 26 seqq. eiusdem libri praecepta illius repudiaverat, hoc loco Epicureum fontem ita exhausisse, ut Epicurum defenderet eiusque disciplinam comprobaret? immo Epicureum fontem tam presse secutus est, ut etiam crimina contra Stoicos allata, quos priore parte eiusdem libri Posidonium Stoicum secutus comprobaverat, describeret. non solum § 89 Epicurum defendens Stoicos „istos grandiloquos" nominat, sed etiam sequente § 90 „nostrates philosophos," in quorum numero Cicero se ipsum numerat, Epicureos esse inter omnes constat.

Primum autem § 88 („ordiamur ab eo etc.") Cicero Epicurum ita defendit: hunc neque mortem neque dolorem timere, quod eum diem, quo moriatur, beatum appellet et maximos dolores memoria et recordatione leniat. quae defensio spectat ad epistulam illam a moribundo Epicuro ad Hermarchum scriptam, quam Cicero ipse in Latinum sermonem vertit (de fin. II, 96. Diog. L. X, 22). qui quod addit mortem non esse timendam, quod animis dissolutis sensu careamus, haec quoque sententia Epicuri est (de fin. I, 40. II, 100. Diog. X, 125).

Quis autem non mirabitur Ciceronem § 88 docentem legens dolorem propterea perferri posse, quod gravis sit brevis, diuturnus allevetur levitate (cf. de fin. I, 40), quod idem Epicuri decretum Cicero Tusc. II, 45. (de fin. II, 22. 94) acerbissime repudiaverat? hoc loco omnes intellegere possunt Ciceronem non suo Marte philosophari, sed prorsus ex eisdem fontibus, quibus in singulis libris componendis utitur, pendere.

Cum etiam capita, quae sequuntur, meram Epicuream contineant philosophiam, tabulam, qua hoc ob oculos ponatur, adiunxi; nam longum est et alienum a nostro

proposito, postquam Epicureus fons satis confirmatus est, demonstrare omnes singulas sententias quinti libri Epicuro tribuendas esse. confer igitur

Tusc. V, 89 (hic vero ipse ... caret omnino) cum Tusc. III, 49.
„ V, 93 (vides credo ... partim neutrum) cum de fin. I, 45.
„ V, 93 (necessarias satiari posse etc.) cum Diog. X, 144.
„ V, 94 (nam et obscenas etc.) cum Diog. X, 118 (142).
„ V, 95 (totumque hoc de voluptate etc.) cum de fin. I, 48.
„ V, 97 (atque his similia etc.) cum Diog. X, 130.
„ V, 110 (iam vero motus animi etc.) c. Tusc. III, 32. 33. etc.
„ V, 117 (sin forte longinquitate etc.) cum de fin. I, 49.

Quamquam autem has omnes Epicuri sententias esse demonstravi, inde etiam hoc loco non sequitur, ut Cicero Epicuri ipsius scripta exhauserit, nam non est difficile demonstrare Ciceronem magistro disciplinae ipso neglecto aliquem ex recentibus Epicureis sibi ducem sumpsisse. nullo enim modo fieri potuit, ut Epicurus scriberet „nostrates philosophi“ (§ 90) significaturus discipulos suos. idem autem de § 94 iudicandum est, ubi legimus: „multa ab Epicureis disputantur.“ accedit, quod § 111 Cicero sententiam Epicureorum exponit, qua omnes voluptates in sensibus habitantes demonstrantur praeter illas, quae sensu oculorum sive aspectu percipiantur. huic vero opinioni obstant Epicuri ipsius verba, quorum partem ex libro *περὶ τελῶν* supra (p. 9) attulimus. sunt enim haec (Athen. VII, 11 p. 280): *κὰν τῷ περὶ τέλους δέ φησιν οὕτω πως „οὐ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τἀγαθὸν ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ μορφῆς κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις.“* dubitari non potest, quin haec sit vera sententia Epicuri, cum idem locus non solum iterum apud Athen. XII, p. 546, e. inveniatur, sed etiam Tusc. III, 42 a Cicerone in Latinum sermonem conversus Epicuro tribuatur (cf. praeterea de nat. d. I, 111. Diog. X, 6).

Maximi autem momenti mihi quidem divisio illa cupiditatum, quam Cicero § 93 attulit, esse videtur: tria videlicet esse genera cupiditatum; „esse enim cupiditates partim naturales et necessarias, partim naturales et non necessarias, partim neque naturales neque necessarias.“ prorsus eandem divisionem eisdem vocabulis idem libro de fin. I 45 exposuit, quem non ex Epicuro ipso, sed ex recenti Epicureo haustum esse demonstravimus. quae sententia etiam in posteriorem Tusculanarum disputationum partem transferenda esse videtur; nam haec divisio cupiditatum cum ea, quam Epicurum docuisse Diog. X, 127 auctor est, non plane congruit. ex hoc loco tria cupiditatum genera in duo divisa erant, quorum alterum e duabus partibus constabat. Cicero de fin. II, 26 hanc subtiliorem desiderat divisionem, quamquam eam in illis brevibus sententiis, quas Epicurei *κυρίας δόξας* appellabant, iam Epicurus ipse protulisse videtur. quare si ille Epicuri ipsius scripta inspexisset et extremam partem disputationum Tusculanarum ex eis mutuatus esset, vix credibile est eum divisionem illam, quam ipse de fin. II vituperavit, suo sermoni accommodaturum fuisse, cum alia divisio, quam accuratiorem esse ipse iudicabat, extaret. cum autem accuratiore Epicuri divisione neglecta eandem, quam primo libro de fin., secutus sit, eundem fontem hoc quoque loco exscripsisse videtur, h. e. aliquem Zenonis Epicurei librum.

In secundi libri de finibus fontem inquiritur.

Secundo de finibus libro Cicero exponit, quid de sententia Epicuri iudicandum sit. iam quibus fontibus in scribendo usus sit, eadem ratione investigabimus, primum demonstrantes, qualibus auctoribus uti non potuerit, deinde quales fuerint, ex quibus mutuatus sit sententias. hanc enim viam propterea ingredi licet, quod

Cicero ita rem tractavit, ut non solum de Epicuri, sed etiam de aliorum philosophorum summo bono iudicaret.

In ea autem parte philosophiae, quae ad quaerendum et disserendum pertinet, plerumque Academicos secutus est, ita ut probabilia sola ac verisimilia confirmaret ex consuetudine novae Academiae. Tusc. II, 5. IV, 7. 47. V, 82. de nat. d. I, 5 et aliis locis. quare etiam ea ratione disserendi et disputandi, quae ei a Socrate inventa, ab Arcesila repetita, a Carneade confirmata esse videbatur, usus est (de nat. d. I, 11. Tusc. I, 8).

Tertia autem Academia condita erat a Carneade, quem Cicero, cum eius praeceptis et rationi assentiretur, saepe magnis laudibus extulit (de or. I, 45. 49. 71 etc.). qui si nihilominus in secundo libro de fin. refellitur, probabile est hanc refutationem a Cicerone e fonte quodam sumptam esse. in quo si Carneades impugnatus erat, apparet auctorem novae Academiae non addictum fuisse. quare cum de fin. II, 34. 35. 38. 42 Carneadis de summo bono sententiam repudiatam inveniamus, constat Ciceronis auctorem, quem ad secundum librum de fin. adhibuerit, philosophum tertiae Academiae non fuisse.

Enarrat porro Cicero de fin. II, 35, quale nonnulli philosophi summum bonum constituerint. inter eos, quorum sententias non accepit, sunt Hieronymus Rhodius, Callipho, Diodorus, qui omnes Peripateticae sectae adscripti erant. Callipho et Diodorus etiam § 34 laudantur. ut de fin. II, 19 Aristoteles ipse et Hieronymus, ita II, 41 Hieronymus solus non audiendus appellatus est, neque usquam totum per librum eorum sententiae probantur. quare eo magis miramur, quod alias Peripateticos eorumque auctorem summis laudibus exornavit. ita legimus Tusc. III, 22: „Peripatetici, familiares nostri, quibus nihil est uberius, nihil eruditius, nihil gravius etc.“ et de fin. V, 7: „Peripatetici veteres, quorum princeps

Aristoteles, quem excepto Platone haud scio an recte dixerim principem philosophorum." cf. praeterea Acad. II, 132. 143. Or. 172. Tusc. IV, 6 etc. imprimis autem respiciendum est de fin. II, 27: „equidem illud ipsum non nimium probo et tantum patior philosophum loqui de cupiditatibus finiendis. an potest cupiditas finiri? tollenda est atque extrahenda radicitus. quis est enim, in quo sit cupiditas, quin recte cupidus dici possit? ergo et avarus erit, sed finite, et adulter, verum habebit modum, et luxuriosus eodem modo. qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum?" quae enuntiata decretis Peripateticorum, quibus vitia radicitus extrahi non posse videbantur, opposita sunt. virtutem ita effici existimabant, ut modus vitiis imponeretur. Peripatetici mediocritatem permotionum animi comprobantes docebant virtutem mediocritate vitiorum non violari. Tusc. III, 22. Acad. II, 135. (Tusc. III, 11). Tusc. IV, 57. quamobrem dubitari non potest, quin enuntiato „qualis ista philosophia etc." de fin. II, 27 philosophia Peripateticorum reprehendatur. apparet igitur ex omnibus his argumentis, quae attuli, fontem, quem Cicero descripserit, librum Peripateticorum non fuisse.

Qualis vero sectae fons Ciceronis fuerit, facile ex eis criminibus concludi potest, quae Epicuro obiciuntur. valde reprehendit enim hunc ille, quod imperitus eius artis, quas Graeci *λογικὴν* sive *διαλεκτικὴν* vocant, ineleganter divisisset. Epicurum contemnere elegantiam definiendi et confuse loqui; eum non dividere, sed frangere etc. de fin. II, 18. 26. 27. 30. sed ex omnibus sectis philosophorum post Aristotelem sectae Stoicorum et Peripateticorum plurimum dialecticae tribuerunt, ut legimus Top. 2, 6: „Stoici iudicandi vias diligenter persecuti sunt ea scientia, quam *διαλεκτικὴν* appellant (cf. de Stoicis et Peripateticis de fin. IV, 10). et idem legimus apud Sextum (Pyrrh. II, 194): *οἱ*

Στωικοὶ καὶ οἱ Περιπατητικοὶ μάλιστα ἐπ' αὐτοῖς (sc. *τοῖς συλλογισμοῖς*) *μέγα φρονοῦσιν.* cum autem iam supra demonstraverimus Peripateticum philosophum a Cicerone in secundo libro de fin. exscriptum non esse, verisimile est Stoicum quendam eius auctorem fuisse.

Atque confitetur Cicero ipse (de fin. II, 17) se Stoica ratione argumenta contra Epicurum afferre. interrogat enim Torquatum, utrum rhetorice an dialectice disputare malit. quod cum Torquatus non intellexerit, pergit: „Zenonis est hoc Stoici: omnem vim loquendi ... in duas tributam esse partes, rhetoricam palmae, dialecticam pugni similem esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius etc.“ qui locus explanatur per Diog. VII, 41: *τὸ δὲ λογικὸν μέρος φασὶν ἔνιοι* (sc. *Στωικοὶ*) *εἰς δύο διαιρεῖσθαι ἐπιστήμας, εἰς ῥητορικὴν καὶ διαλεκτικήν.* (cf. Sen. ep. 89, 17. Sext. Emp. adv. math. II, 7).

Sed haec universa divisio ab aliis aliter variabatur. Diog. l. l. addit: *τινὲς δὲ καὶ εἰς τὸ ὁρικὸν εἶδος, τὸ περὶ κανόνων καὶ κριτηρίων.* haec subtilior Stoicorum divisio a Cicerone accepta esse videtur, legimus enim de fin. II, 18: „artem dialecticam continere perspiciendi, quid in quaque re sit, scientiam et iudicandi, quale quidque sit, et ratione ac via disputandi.“ nam sibi respondent perspiciendi, quid in quaque re sit, scientia et *ἡ διαλεκτική*, scientia iudicandi, quale quidque sit et *τὸ ὁρικὸν γένος*, scientia ratione ac via disputandi et *ἡ ῥητορική*.

Unus ex gravissimis artis dialecticae laboribus est ars definiendi. quantum momentum in definiendo situm sit, de fin. II, 4 legimus: „negat enim (sc. Epicurus) definiri rem placere, sine quo fieri interdum non potest, ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid sit id, de quo agatur velut in hoc ipso, de quo nunc disputamus. quaerimus enim finem bonorum etc.“ ea autem pars

logicae, quae definitiones tractabat, *γένος* sive *εἶδος ὁρικόν* appellata esse videtur (cf. Zeller, Gesch. der Phil. de Griech. III, 1. p. 58. Anm. 2. ed. II). huic arti quantam operam Stoici dederint, inde apparet, quod Chrysippus Stoicus octo sive fortasse decem libros de definitionibus scripsit (Diog. VII, 189 in catalogo librorum Chrysippi).

Ex omnibus autem summi boni definitionibus definitio Zenonis Ciceroni probatur. atqui Zenonem auctorem et conditorem philosophiae Stoicae fuisse, quis nescit? conferendum est de fin. II, 35 cum § 38. docebat ille summum bonum sive finem bonorum in decore sive honestate positum esse. nihil ei bonum esse videbatur nisi honestum, nihil malum nisi turpe. ceteras res non tantum momenti habere, ut expetantur vel repetantur. hanc sententiam mere Stoicam esse Cicero ipse ostendit de fin. III, 21, quo libro quid Stoici de summo bono iudicaverint, exponit: „cum igitur in eo sit bonum, quo omnia referenda sunt, honeste facta ipsumque honestum, quod solum in bonis ducitur etc." ergo cum Stoicorum definitionem in Epicuro refutando ita proferat ut probet, sequitur, ut hauserit ex libro Stoico.

Porro de fin. II, 44 cum haec scripserit Cicero: ego autem existimo, si honestum esse aliquid ostendero, quod sit ipsum sua vi propter seque expetendum, iacere vestra (h. e. Epicureorum) omnia", idem significat ac si dixisset: ego Stoicorum disciplina vos Epicureos redarguam. — ac re vera, ut promiserat, tota de summo bono expositio prorsus est Stoica: „honestum igitur id intellegimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum possit iure laudari etc." quae Stoicos docuisse demonstrant de fin. III, 14, 21 seq. iam quod pergit: „homines enim, etsi aliis multis, tamen hoc uno plurimum a bestiis differunt, quod rationem habent a natura datam etc.", hic locus illustrandus est

e libro primo (§ 11) de offic., in quo conscribendo Cicero se Stoicos secutum esse ipse confirmavit (de off. I, 6. III, 34). quae deinde de ratione hominum, de societate eorum etc. dicuntur, ad verbum fere cum loco I de off. laudato ita congruunt, ut alter altero sit explicandus.

Porro quod legimus nobis natura cupiditatem insitam esse veri videndi, ita ut, cum vacui curis simus, quid in caelo fiat scire aveamus, haec quoque sententia e Stoicorum disciplina excerpta est, ut de off. I, 13 similia Cicero Stoicos sequens scripsit. nec abhorret a Stoicis ratio, qua de notione honesti singulas virtutes Cicero deductas distribuit. nam hi a Platone acceperant quattuor illas virtutes principales, quae Graece *ἀρεταὶ πρῶται* nominantur (Zeller, Gesch. d. Philos. der Griech. III, 1, p. 220. ed. II. de off. I, 16. 17). sunt autem quattuor illae virtutes prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. utque Tusc. V, 71 seqq. nominibus omissis virtutes describuntur tantummodo, ita etiam de fin. II, 46 nomina earum reticentur, sed descriptio tam pellucida est, ut nemo dubitare possit; nam cupiditas illa veri videndi, qua commoti omnia vera simplicia diligimus, odimus vana falsa, est prudentia sive potius sapientia. amplum illud atque magnificum, ad imperandum magis quam ad parendum accommodatum, haud dubie virtus iustitiae est. virtus autem, qua omnia humana levia ducimus, qua imbuti nihil timemus, nemini cedimus, semper invicti manemus, est fortitudo. quibus tribus descriptis Cicero ipse dicit se quartam illam additurum esse, in qua ordo et moderatio sit, h. e. virtutem temperantiae. nomina ipsa § 52 allata sunt. cf Tusc. II, 31. 32.

Epicurus quidem ut demonstraret a natura ipsa voluptatem appeti, fugi dolorem, animalia atque infantes, simulac nata essent, voluptatem appetere et repellere dolorem monuerat (de fin. I, 71). quam sententiam Ci-

cero ut refelleret, dixit non naturam esse, quae impelleret animalia, sed quod ipsa se diligerent, appetere voluptatem, fugere dolorem: „omne enim animal, simul ortum est, et se ipsum et omnes partes suas diligit duasque, quae maximae sunt, in primis amplectitur, animum et corpus, deinde utriusque partes etc.“ quo amore sui commota animalia maxime cupere, ut se servent et natura salva maneant: de fin. II, 31. 33. sed Stoicam hanc opinionem esse Diog. VII, 85 demonstrat scribens: *τὴν δὲ πρώτην ὁρμήν φασι τὸ ζῶον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτὸ, οἰκειούσης αὐτῷ τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς, καθά φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τελῶν κ. τ. λ.* cf. praeterea de fin. III, 16. de off. I, 11.

Accedit, quod Cicero Epicureos refutaturus cum Torquato primum disputat de voluptate definienda. qua in re notabile est primam ex omnibus sectis philosophorum eum Stoicorum illam commemorare de fin. II, 13: „vitiosa res, ut Stoici putant, qui eam (sc. voluptatem) sic definiunt, sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono frui.“ item Tusc. IV, 13, quo loco enarrat, quomodo Stoici perturbationes animi sive *πάθη* distribuerint ac definierint, pro voluptate usurpata est „laetitia gestiens vel nimia.“ nam eadem ratione „laetitia gestiens“ definitur „elatio animi sine ratione,“ quibus vocabulis Stoicorum definitio, quam apud Diog. VII, 114 invenimus, ad verbum fere expressa translata est: *ἡδονὴ δέ ἐστιν ἄλογος ἔπαρσις ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν.* quis autem existimabit forte accidisse, ut omnium aliorum sententiis de voluptate neglectis solam Stoicorum Cicero attulerit?

Vidimus supra (p. 22) Carneadem nonnullis locis refutari, ut dubitari non possit, quin auctor Ciceronis fuerit inimicus conditori tertiae Academiae. conferenda sunt de fin. II, 38: „reicietur etiam Carneades“ cum illis (§ 35), ubi Carneadis summum bonum honestatis

expers esse narratur. expressis adeo verbis paulo infra (38) legimus, nullam de summo bono sententiam expertem honestatis probari posse. deinde § 42, postquam Hieronymi Peripatetici decreta reiecit, pergit: „quae possunt eadem contra Carneadeum illud summum bonum dici, quod is non tam, ut probaret, protulit, quam ut Stoicis, quibuscum bellum gerebat, opponeret etc.“ multis enim Ciceronis locis perspicimus Carneadem Academicum vehementissime Stoicos vexasse et semper contra eos disseruisse. de nat. d. II, 162. Tusc. IV, 53. V, 83. 84. cf. Diog. VII, 182. si vero Carneades Stoicos insectatus est, consentaneum est Stoicos quoque contra Carneadem pugnavisse. ita novum argumentum Stoici fontis investigavimus.

Sed iam quaerendum est, quis hic philosophus Stoicus fuerit. ordiendum est quidem a § 43 libri secundi de fin., ubi Cicero dixit contra Aristonem et Pyrrhonem iam pridem desitum esse disputari. eadem ratione Erillum (sive Herillum) iam dudum reiectum esse: „post enim Chrysippum non sane est disputatum.“ quattuor autem locis (Tusc. V, 85. de fin. II, 35. V, 23. de off. I, 6), quibus hi tres philosophi, Aristo, Pyrrho, Herillus simul afferuntur, idem dictum est eorum sententias evanuisse sive iam diu abiectas esse. quare veri est simillimum illud de fin. II, 43 enuntiatum: „post enim Chrysippum non sane disputatum“ etiam ad duos, quos antea laudavit, h. e. Aristonem et Pyrrhonem referri posse. quae explicatio a Cicerone ipso confirmatur de fin. IV, 68, ubi Chrysippum contra sententiam Aristonis diligentissime disseruisse legimus. Aristo enim quamquam Zenonis auditor fuerat et omnino recte Stoicus nominatur, tamen in nonnullis rebus a magistro recessit. quamquam enim ut Zeno magister docebat nihil esse bonum, nisi honestum, nihil malum nisi turpe, tamen „in mediis ea momenta, quae Zeno voluit, nulla esse censuit.“ Acad. II, 130. de fin. V, 73 et 43. de

leg. I, 38. hic autem Stoicorum sententiam de *προηγμένοις*, quae dicuntur, repudiavit. atque impugnavit Chrysippus, qui secundus auctor vel conditor philosophiae Stoicae nominatur, Aristonem propterea, quod is non omnibus decretis magistri doctrinae assentiebatur. nam saepissime fit, ut a philosophis et hominibus doctis ei, qui quamvis omnino eandem viam ingrediantur, in nonnullis rebus ab auctore dissentiant, acerbius impugnentur quam qui omnibus fere rebus differant.

Propter eandem fere causam Chrysippus Herillo obstitisse videtur, qui docebat *τὰ (δὲ) μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα εἶναι* (Diog. VII, 165). hic quoque discipulus Zenonis fuit (Acad. II, 129), sed postea magis quam Aristo a Stoicis differebat, ut fere unus ex illis philosophis, qui contra omnia disserunt ut Menedemus et Eretriaci, esse videretur: Ac. II, 129. eadem ratione tertius illorum philosophorum, Pyrrho, conditor scepticismi, qui dicitur, praeter virtutem nihil esse appetendum demonstrabat: de fin. IV, 43. 49. 60. qui tres philosophi cum doctrinam simillimam protulerint, saepe coniunguntur.

Quamquam autem post Chrysippum nemo hos tres philosophos vexavit, tamen Cicero non solum de fin. II, 43, sed etiam § 35 eorum sententias reiecit. quare probabile mihi esse videtur aliquo Chrysippi Stoici libro Ciceronem usum esse.

Accedit, quod memoriae traditum est, Chrysippum imprimis dialectica arte excelluisse, ut apud Diog. VII, 180 legimus: *οὕτω δ' ἐπίδοξος ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς ἐγένετο, ὥστε δοκεῖν τοὺς πλείους, ὅτι εἰ παρὰ θεοῖς ἦν ἡ διαλεκτική, οὐκ ἂν ἄλλη ἦν ἢ ἡ Χρυσίππειος.* (cf. quae p. 24 sq. demonstravimus). praeterea Chrysippus cum Epicuro multitudine librorum contendebat: (Diog. X, 26): *ἐξήλου δ' αὐτὸν* (sc. *Ἐπίκουρον*) *ἐν πολυγραφίᾳ.* constat autem Chrysippum contra Epicurum scripsisse, nam in multis scriptis illius apud

Diog. VII, 2 sunt: *ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι τὴν ἡδονὴν τέλος δ'*, qui liber simillimus alii Chrysippi esse videtur, qui inscriptus erat: *ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν δ'*. nam Epicuri sententia erat *ἡδονὴν εἶναι τὸ τέλος*, h. e. voluptatem esse finem bonorum.

Nihilo tamen minus hos duos libros fontes Ciceronis fuisse non probabile est, sed alium Chrysippi librum, qui eadem ratione ac Ciceronis ipsius inscriptus erat *περὶ τελῶν*. invenimus enim apud Diog. VII, 85: *καθά φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τελῶν*. qui liber non est in indice innumerabilium fere librorum, quos a Chrysippo compositos esse Diog. (VII, 189 usque ad extr.) tradidit. cum autem Graeci summum bonum *τέλος* nominent nec summo malo idem nomen imponant, apparet pluralem *τελῶν* numerum ita intelligendum esse, ut quid nonnullarum sectarum auctores de summo bono docuissent, enumeraretur, prorsus eodem modo, quo Cicero ipse in libris de finibus usus est. quae sententia eo probabilior est, quod Chrysippus non unum, sed nonnullos libros composuit (l. l. *ἐν τῷ πρώτῳ*). atque ipsum Diogenis (VII, 85) locum si accurate inspexerimus, Chrysippus in libris *περὶ τελῶν* non Stoicorum solum doctrinam explicavisse, sed etiam Epicurum impugnavisse videbitur. primum enim id, quod Stoici de notione vocabuli *ὁρμή*, quam supra tractavimus, exponitur: *οἰκεῖον εἶναι παντὶ ζώῳ τὴν αὐτοῦ σύστασιν καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν ... τά τε βλάπτοντα διωθεῖται καὶ τὰ οἰκεῖα προσίεται*. cf. de fin. II, 33. III, 16. si vero pergit: *ὃ δὲ λέγουσί τινες, πρὸς ἡδονὴν γίγνεσθαι τὴν πρώτην ὁρμὴν τοῖς ζώοις ψεῦδος ἀποφαίνουσιν*, ei qui hoc mendacium proferunt, Epicurus eiusque discipuli sunt. de fin. I, 71.*

* Quibus omnibus rebus respectis sequitur, ut Raphaelus Kuehnerus (M. Tullii Ciceronis in philosophiam eiusque partes merita p. 105) non recte iudicaverit, qui existimaret plurima secundi libri e Chrysippo libro *περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς* excerpta esse videri.

Gravissimum autem argumentum Chrysippi sententias a Cicerone Latinis litteris illustratas esse inveniemus, si Acad. II, 138 cum de fin. II, 35 contulerimus. prorsus eandem sententiarum, quas philosophi de summo bono excogitaverunt, sequitur Cicero distributionem, quam Chrysippus instituisse Acad. II, 138 traditur. tres enim legimus Chrysippum agnovisse sententias de finibus bonorum, quae defendi possent, aut honestatem aut voluptatem aut utrumque. Cicero de fin. II, 35 quod scripsit unum finem esse expertem honestatis, i. e. Aristippi vel Epicuri etc., hic finis est voluptas. alter qui in honestate cum aliqua accessione positus est, quem finem Polemo, Callipho, Diodorus constituerunt, non discrepat ab ea sententia, ex qua honestas et voluptas in summo bono coniunctae sunt. tertia autem sententia est Zenonis Stoici, quem in honestate sola finem bonorum esse dixisse, quis nescit? ita Ciceronem Chrysippi distributionem secutum esse manifestum est.

Huc accedit, quod Cicero ipse duobus secundi libri locis ipsum nomen Chrysippi attulit (de fin. II, 43. 44). quamquam enim plerumque nomina fontium reticet, raro, ut in libris de officiis, quem secutus sit confitetur, tamen scriptores obiter laudare solet.

His fere argumentis a nemine adhuc sat plene collectis adducti esse videntur Raph. Kuehnerus et Madvigius, ut Chrysippum Ciceronis auctorem fuisse conicerent. quibus ut huc usque adsentiri visus sim, brevitatis causa factum est. nam certe hoc unum comprobavi materiam libri secundi de fin. fere eandem ac Chrysippi librorum fuisse. sed dubitari recte potest, utrum Chrysippi ipsius libros exhauserit Cicero an alios philosophos, qui ut erat mos veterum, illos iam ante Ciceronem excerpserant. atque facillime fieri potuit, ut recentiorem philosophum, qui Chrysippi libros contaminavisset, sequeretur.

Nimirum ne ab ipso Chrysippo repetamus fontem,

vetant nomina philosophorum Carneadis, Diodori, Calliphontis: de fin. II, 19. 34. 35. e quibus Carneades, auctor tertiae Academiae, unus ex tribus illis philosophis fuit, quos Athenienses a. u. c. 599 Romam miserunt (de or. II, 155), quem intra annos 214,3 et 129 vixisse satis probavit Zellerus (Philos. d. Griech. III, 292. ed. I: cf. Diog. IV, 65). quare nullo modo fieri potuit, ut Chrysippus, qui eodem fere tempore mortuus est, quo natus est Carneades, refelleret Carneadem: de fin. II, 35. 38. 42.

Ceterorum ut tempora inveniamus, ordiendum est a § 45 I de or., ubi Cicero Diodorum Peripateticum auditorem Critolai fuisse dicit. fuit autem hic quoque legatus Atheniensium a. u. c. 599. Diodorum vero, qui Critolai auditor fuerit, probabile est iuniorem fuisse quam Critolaum. quare dubitari vix potest, quin Diodorus medio et exeunte saeculo secundo a. C. floruerit. constat quidem eum adhuc docuisse a. u. c. 641 (= 113 a. C.), quo tempore L. Crassus, cum quaestor in Asia esset, eum Athenis audivit. de or. I, 45. (III, 75). cum autem iam supra viderimus Chrysippum Stoicum exeunte tertio saeculo a. C. n. (Zeller, Philos. d. Griech. III, p. 15, qui eum anno 209 a. C. mortuum esse dicit) vita decessisse, Diodorus idem a Chrysippo laudari non potuit.

Quando Calliphon Peripateticus fuerit, non satis constat. sed de fin. V, 73 legimus Calliphontem ante Diodorum doctrinam suam excoluisse. sectae Peripateticorum non prorsus addictus erat, sed in sententia de summo bono prolata ita a schola discrepabat, ut existimaret finem bonorum non solum honestatem esse, sed honestatem cum voluptate coniunctam. ut Diodorus ad honestatem adiunxit indolentiam sive vacuitatem doloris, ita Calliphon honestatem cum voluptate coniunxit. de fin. II, 19. 34. IV, 49. V, 21. 73. Acad. II, 131. Tusc. V, 85. 87.

Cum autem hoc decretum fere unum sit, quod nobis

de hoc philosopho traditum est, haud multas alias sententias, quae memoria dignae essent, protulisse videtur. animadvertendum est hanc unam eius sententiam ad eam partem philosophiae, quae mores et virtutes tractat, vel ad ethicam, ut ita dicam, pertinere. Zellerus autem demonstravit (Philos. d. Griech. II, 575. ed. I) sectam Peripateticorum post Stratonem et Lyconem etiam atque etiam ab eis disciplinis, quae naturam rerum et dialecticam tractent, recedentes ad ethicam se convertisse. hoc est idem tempus, quo Diodorum fuisse supra vidimus, h. e. saeculum tertium exiens usque ad saeculum primum a. C. praeterea cum semper fere una cum Diodoro laudetur (de fin. II, 19. 34. IV, 49. V, 73. Tusc. V, 85), haud dubie eodem fere tempore fuit. quamobrem apparet Calliphontem non magis quam Diodorum laudari potuisse.

Huc accedit, quod de fin. II, 24 Diogenes Stoicus, qui unus e legatis Atheniensium a. 599 fuit, et Panaetius, quem amicum Scipionis Africani minoris et Laelii fuisse omnibus notum est, laudantur. sane negari non potest hos duos philosophos ita commemorari, ut Ciceronem ipsum loqui appareat, nam laudantur inter exempla e poetis Latinis excerpta. tamen cum verisimile sit Ciceronis fontem recentiorem philosophum fuisse, hic quoque locus sententiam nostram quodammodo confirmat.

His igitur de causis confitendum est quamvis res, de quibus agitur, e Chrysippo libatae esse videantur, tamen non Chrysippi ipsius librum fontem Ciceronis fuisse, sed alium scriptorem, qui Chrysippum secutus esse videatur.

Quis autem hic scriptor fuisse videtur? proficiscendum est a § 38 secundi libri de finibus, ubi Cicero dixit in fine bonorum constituendo duas solas ferri posse sententias: „aut nihil esse bonum nisi honestum, nihil

malum nisi turpe, cetera aut omnino nihil habere momenti aut tantum, ut nec expetenda nec fugienda, sed eligenda modo aut reicienda sint, aut anteponet eam (sc. sententiam), quam cum honestate ornatissimam, tum etiam ipsis initiis naturae et totius perfectione vitae locupletatam videbit." priorem sententiam esse Stoicorum quis non intellegit? iam supra demonstravimus Stoicos summum bonum in honestate, summum malum in turpitudine posuisse. quamquam Zeno Stoicus omnia bona, quae media essent inter honestum et turpe, indifferentia (*ἀδιάφορα*) esse dixerat, tamen discipuli eius haec media in duo genera distribuerant, quorum alterum genus, ut honestati non contrarium, eligendum esset, alterum honestati, h. e. naturae contrarium indifferens et reiciendum esset (*προηγμένον*, *ἀποπροηγμένον*) Diog. VII, 105. alii philosophi Stoici vel tria genera horum bonorum mediorum fecerunt. Acad. I, 36.

Cuius sectae sententia posterior (de fin. II, 38) sit, e Diogene VII, 30 cognosci potest, qui dicit: *τέλος δὲ ἓν ἐξέθετο* (sc. *ὁ Ἀριστοτέλης*) *χρῆσιν ἀρετῆς ἐν βίῳ τελείῳ*. e tribus rebus, quae vitam beatam reddant, nominat primam *τὰ περὶ ψυχῆς ἃ δὴ καὶ πρῶτα τῇ δυνάμει καλεῖ* (cf. praeterea Eth. Nic. I, 7. 14. 15. in ed. Did. v. 65 extr.). apparet *τέλειον βίον* idem esse, quod Cicero vertit „totius vitae perfectionem" et *πρῶτα τῇ δυνάμει* idem quod „initia naturae" (de fin. II, 38). hanc versionem rectam esse § 33 II de fin. docet, ubi „prima a natura data" definiuntur „praecipua quaedam et in animo et in corpore." sequitur, ut de fin. II, 38 posterior sententia sit Peripateticorum atque Cicero ut Stoicorum et Peripateticorum sententiam eiusdem gravitatis esse existimet. negat nimirum magnam inter has opiniones differentiam esse, ut etiam de fin. II, 76 duas sectas coniungit. sed Cicero non fuit primus, qui Stoicos et Peripateticos ita coniunxit; idem iam Antiochus Ascalonita libro demonstrare voluerat, Stoi-

cos scilicet cum Peripateticis re concinere, verbis discrepare. (de nat. d. I, 16. de fin. V, 22.) Stoicorum autem sententiam quod primore loco posuit, novo argumento coniecturam nostram confirmat, quod Acad. II, 132 legimus: „(Antiochus) appellabatur Academicus; erat quidem, si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus.“

Accedit (quod mihi maximi momenti esse videtur), quod Piso, h. e. Antiochus de fin. V, 26 summum bonum ita definit, ut solum verbis, non re differat ab explicatione de fin. II, 38 prolata. nam Stoicorum definitio, ex quasummum bonum est secundum naturam vivere, explicatur „vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente.“ cum enim ex Stoicorum sententia secundum naturam vivere idem sit atque honeste vivere, (Ac. I, 35. Diog. VII, 94. 101), „honestas totius perfectione vitae locupletata“ (de fin. II, 38) prorsus idem significat, quod „vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente.“ de fin. V, 26.

Si vero Antiochum fontem fuisse Ciceroni constituimus, facil lime intellegi potest, cur Chrysippi Stoici, quamquam eum ipsum ille non exscripsit, sententiae in II l. de fin. nobis sint traditae. nam Antiochus „plane est Stoicus“ (Ac. II, 137) et „a Chrysippo pedem nunquam“ recedit (Ac. II, 143). propterea Stoicorum adstipulator (Ac. II, 67) nominatur. qua ratione etiam Carneadis reprehensio, de qua supra diximus, bene explicatur; nam Antiochus e nova Academia, cuius conditor Carneades fuit, remigravit in veterem (Ac. I, 13. de fin. V, 14).

Porro Cicero ipse narravit (Brut. 315. de fin. V, 1) se „cum Athenas venisset, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, fuisse“ et Ac. II, 92 se sequi eas vias, quas ab Antiocho didicisset.

Antiochum autem a Cicerone hic quoque excerptum esse eo verisimilius est, quod in aliis quoque libris eum

Antiocho usum esse constat, ut in libris Academicis ea, quae Varronem dicentem fecit, ex Antiocho sumpta sunt (ad fam. IX, 8, 1). praeterea Cicero ipse ostendit quarti et quinti de finibus libri auctorem Antiochum fuisse (de fin. V, 8. 14. 16. 75. cf. Madvig. de fin. exc. VII).

Si contra Epicurum de fin. II, 33 dictum erat animalia vix nata voluptatem non appetere, sed se propterea movere, quod se diligerent et se integra et salva esse vellent, concedendum est hoc argumentum iam a Stoicis (de fin III, 16 etc.) et a Peripateticis (Stob. ecl. eth. p. 246) excogitatum esse, sed etiam Antiochus eo usus est (de fin. V, 24).

Aristotelem autem quod sequi voluisse dicitur, Antiochus Ac. II, 137 unum quidem exemplum eius modi de fin. II, 40 invenimus, quo loco scriptor Aristoteli assentitur.

Potuit laudare Antiochus Diodorum Peripateticum, cum paulo post eum floruerit (Zumpt, über den Bestand der philos. Schulen in Athen. Abhandlgn der Berliner Academie 1842. p. 68). audivit enim Cicero Antiochum Athenis anno u. c. 675 (= 79 a. C.), quo Sex. Roscii causa dicta profectus erat, ut et valetudinem bonam recuperaret et studia amplificaret (Brut. 315. de nat. d. I, 6). paucis annis post (c. 679 a. u. c.) Antiochus videtur esse mortuus, postquam iter cum Lucullo in Syriam fecit, sed annus mortis non accurate nobis traditus est. (Ac. II, 61).

Quare propter plurima argumenta, quae adhuc contulimus, verisimillimum hoc esse videtur Antiochum librum a Chrysippo περὶ τελῶν compositum excerpsisse et hoc libro Antiochi Ascalonitae Ciceronem, cum secundum de finibus librum scriberet, usum esse.

Satis nota est Antiochi disciplina ac philosophandi ratio, quamquam scripta eius servata nulla sunt. nam Cicero ipse, ut iam supra significavimus, de fin. V, 14. 16. 75. 81 se

doctrinam Antiochi toto quinto libro exponere ostendit; atque eidem etiam quartum tribuendum esse demonstravit Madvigius in praeclara illa editione de fin. librorum (excurs. IV et VII). quod si hi duo libri Antiochi doctrinam continent, exspectabimus eos cum secundo saepe et verbis et rebus congruere. qua de causa cum libros inter se conferrem, locos plurimos inveni simillimos, ut dubitari non amplius posse existimem, quin tres libri ex eisdem Antiochi scriptis hausti sint. loci autem sunt hi:

II, 33 (omne enim animal etc.) et *V, 24* (27), qui duo loci non solum sensu, sed etiam verbis congruunt. Antiochus enim docebat omne animal, simul ortum esset, se ipsum diligere et propterea id agere, ut se conservaret et se ipsum et omnes partes. eadem sententia Epicurei in II libro refutatur. summatim repetitam et eisdem vocabulis expositam eandem sententiam V, 27 invenimus; accedit, quod ibidem discimus Antiochum hominem non, ut Plato fecerat, in tres partes, sed solum in duas, h. e. animum et corpus divisisse. eandem autem distributionem Cicero secundum librum componens (II, 33) secutus est scribens: „duasque, quae maximae sunt, in primis amplectitur, animum et corpus etc.“ eisdem paragraphis (II, 33 (nam sunt et — asperneturque contraria) et V, 24 (cum autem processit — propulsare contraria)) eadem ratione Cicero exponit, quomodo animalia in cognoscendo proficiant et sensim incipiant se intellegere, et quamquam pauca verba congruunt, tamen res prorsus est eadem.

Praeterea eadem paragrapho (II, 33) quod legimus animalia omnia se diligere et propterea etiam partes et animi et corporis, eadem accuratius tractantur V, 37; nam cui conservatio sui proposita sit, ei partes quoque sui caras esse necesse est carioresque, quo perfectiores sint etc.

II, 35 (reliqui sibi constiterunt etc.) (42) et *V, 19 et 20.* postquam II, 35 multorum philosophorum sententias de summo bono constitutas enumeravit, pergit: „reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent, ut Aristippo voluptas, Hieronymo doloris vacuitas, Carneadi frui principiis naturalibus esset extremum.“ eandem divisionem sententiarum, quae de summo bono constitutae sunt, eodem ordine (id quod mihi gravissimum esse videtur) expositam V, 19 habemus: nam „honestatem eam esse, ut omnia voluptatis causa fierent,“ est sententia Aristippi (§ 20), non dolere idem est ac vacuitas doloris, quam sententiam Hieronymus Rhodius protulit (§ 20); eis autem, quae secundum naturam sunt vel quae prima naturae sunt, frui est Carneadis sententia (§ 20).

Praeterea confer V, 18, ubi eadem res eisdem fere verbis exposita est, et quo loco II, 42 (nam qui ad virtutem ... etc.) illustratur.

II, 34 (ergo nata est sententia etc. usque ad lacunam post „vacuitatem doloris“) et *V, 21.* (cf. V, 14. 73.). tres eaedem sententiae de summo bono constitutae, h. e. Calliphontis, Diodori, Academicorum et Peripateticorum afferuntur. ex V libro intellegimus Antiochum in hunc errorem delapsum esse, ut existimaret Academicos et Perepateticos, quos diversissimos inter se esse omnes scimus, vix differre. cum autem idem error l. l. II libri irrepserit, hic quoque locus sententiam, quam de fonte supra exposuimus, magnopere confirmat. sane non eundem ordinem in II et V libro invenimus: cum enim in V libro primum Calliphon, deinde Diodorus, postremo Academici et Peripatici laudentur, in secundo libro hi, h. e. Academici et Peripatetici primum locum obtinent. cum autem post „vacuitatem doloris“ lacuna in codicibus sit, fortasse haec lacuna ita exorta est, ut librarius quidam tertium membrum divisionis primum poneret et deinde, cum hoc animadvertisset, lacuna

parva et signo in codicibus non conservato hanc neglegentiam significare vellet. si haec ita essent, non solum eosdem philosophos et eadam fere verba, sed etiam eundem ordinem haberemus.

Ut autem II, 19 et 35 eisdem locis, quibus Diodorus et Calliphon et alii laudantur, semper Hieronymus Rhodius, qui summum bonum vacuitate doloris definivit, adiungitur, ita etiam V, 14. 73. (confer praeterea § 19 cum 21).

II, 37 (de vacuitate doloris ... erit) et *V, 21* (de vacuitate doloris ... voluptate), quibus duobus locis Hieronymus Rhodius reicitur.

II, 38 (reicietur etiam Carneades ... probabitur) et *V, 22* (nec vero alia ... constare possunt). ut V, 22 videmus Antiochum non solum Carneadis sententiam, sed omnes omnino sententias de summo bono constitutas, quae honestatis non participes essent, repudiasse, ita etiam II, 38 eundem ordinem refutationis atque eandem rem tractatam invenimus.

II, 35 (nam Pyrrho, Aristo, Erillus iam diu abiecti) *43* (quae quod Aristoni et Pyrrhoni ... gubernari possit) et *V, 23* (iam explosae eiectaeque sententiae Pyrrhonis, Aristonis, Erilli ... officii sustulit). his tribus locis tres eidem philosophi coniunguntur, quod propterea magnum argumentum esse iudicamus, cum hi tres non saepe ab aliis philosophis sive scriptoribus tractati sint, neque post Chrysippum quisquam contra eos disputaverit (II, 43). propter easdem causas II, 43 et V, 23 repelluntur. nam Aristo et Pyrrho docebant praeter virtutem nihil esse dignum, quod expetatur, quae sententia Stoicorum decreto de mediis sive productis sive praepositis rebus (προηγμένα Ac. I, 36. 37. Tusc. V, 47. de fin. III, 16) opposita erat, quam Stoicorum doctrinam Antiochus quoque acceperat. ut autem II, 35 omnes tres coniuncti sunt, deinde II, 43 primum Pyrrho et Aristo reiciuntur, postremum Erillus

solus, ita eundem scribendi ordinem Cicero secutus est, et eadem causa Erilli refutandi adhibita est (praeterea cf. II, 43 et V, 73 de Aristone et Erillo).

Quis autem iudicabit forte haec omnia facta esse, ut in duobus libris eidem philosophi omnibus aliis omissis et eisdem verbis et plerumque eodem ordine afferantur?

II, *34* (Polemoni et iam ante Aristoteli ea etc.) et *V*, *14* (antiquorum autem sententiam etc.). qui duo loci, quibus Polemon cum Aristotele coniungitur, propterea gravissimi sunt, quod V, 14 Cicero expressis verbis nobis tradidit ab Antiocho hos duos philosophos coniunctos esse.

II, *113* (ad altiora quaedam ... nati sumus) et *V*, *21* (quando ad maiora quaedam ... nati sumus). cf. Tusc. II, 58. duobus his locis eadem ratione Aristippi et Epicuri sententia voluptatem esse summum bonum reicitur.

II, *34* („Stoicis consentire naturae ... reicientemque contraria“ et iam antea in eadem paragrapho: ergo nata est sententia ... primis a natura datis) et *V*, *26* (ex quo intellegi debet .... nihil requirente). haec tria enuntiata sese vicissim explicant. quibus locis collatis intellegimus Ciceronem „secundum naturam vivere“ et „consentire naturae“ et „vivere ex hominis natura undique perfecta“ et „honeste vivere“ et „frui primis a natura datis“ ita uti, ut eadem significent. cum autem Madvigius demonstraverit (exc. IV in ed. de fin.) Antiochum hac ratione dicendi usum esse, quis dubitare potest, quin secundus quoque liber ex Antiocho sit haustus? (cf. V, 18: ab eis alii etc.).

II, *110* (videmus in quodam volucrium genere ... datum esse dicemus?) et *V*, *38* (sunt autem bestiae ... explicandum putant). Antiochus docebat iam in bestiis aliquid simile virtutis esse, sed in homine summam rationis esse, qua virtutis absolutio definiatur. eadem autem II, 110, quamquam aliis verbis, dicuntur; nemo

enim negabit, „aliquid simile virtutis“ idem significare ac „nonnulla indicia pietatis etc.“

II, 40 (sic hominem ad duas res .... absurdius) et *V, 58* (ergo hoc quidem apparet etc.). illic quidem quod scripsit Cicero nos ad duas res, ad intellegendum et ad agendum, natos esse, haec sententia alteri loco adversari videtur, sed hunc si diligentius inspexerimus, inveniemus sententias duorum locorum haud differre; nam V, 58 Piso, h. e. Antiochus vocabulum agendi ita definit, ut significatio agendi primum sit „consideratio cognitioque rerum caelestium et earum, quas a natura occultatas et latentes indagare ratio potest etc.“ qua vocabuli explicatione videmus duobus locis eadem exponi.

II, 45 (eademque ratio fecit .... mortalium societate) et *V, 65* (coniunctio inter homines etc.), ubi illa Stoicorum sententia nos homines ad societatem et communicationem natos esse tractata est ita, ut vel vocabula nonnulla congruant.

II, 48 (ut enim consuetudo .... voluptatem) et *49* (quod multitudinis rumore laudetur ... laudabile) et *V, 69* (non perfecti autem hominis etc.). Tusc. II, 63. cum enim sapientes perfecti veram honestatem propter se ipsam expetant, tribus locis legimus non id, quod a multitudine extollatur, esse laudabile atque expetendum.

II, 88 (at eum nihili facit; ait enim se, si uratur. quam hoc suave! etc.) et *V, 80* (dixerit hoc idem Epicurus etc.). Tusc. II, 17 Epicuri illud allatum videmus sapientem etiam maximis doloribus affectum dicere posse: quam suave est etc.

II, 86 (quoniam igitur ... quale sit) et *V, 12* (sed cum beata vita quaeratur ... dubitari videtur). his duobus locis finis omnis philosophiae ad beate vivendum refertur (cf. praeterea *V, 16* (cum igitur ... comparari potest) et *86* (omnis auctoritas philosophiae ... omnes sumus).

II, 79 et *V, 63* eadem e Pacuvii Duloreste laudantur eisdem fere verbis.

II, 61 et *V, 64* idem exemplum Deciorum allatum est (Tusc. II, 59).

II, 66 et *V, 64* duo exempla Lucretiae et Verginiae eodem ordine afferuntur.

Sed Madvigius illis excursibus quos supra laudavi editioni librorum de finibus adiunctis, non solum quintum, sed etiam quartum de finibus librum haustum esse ex Antiocho Ascalonita demonstravit. quarto autem libro reicitur quod Stoici, secundo quod Epicurei de summo bono iudicaverant. hanc propter causam cum etiam quartum librum cum secundo conferrem, inveni locos tam similes, ut secundi quoque libri materiam Antiocho tribuendam esse novo argumento intellegerem. qui loci sunt hi:

II, 46 (et quoniam eadem natura etc.) et *IV, 4* (nos ... habere etiam insitam etc.), quibus duobus locis Cicero cupiditatem veri videndi natura nobis inesse demonstravit. re etiam *IV, 18* concinit (quod erat insitus menti etc.), et *IV, 4* quod docetur homines ad congregationem et societatem esse natos, eandem sententiam *II, 45* (eademque ratio fecit hominem etc.) enarravit.

II, 34 (ergo nata est sententia ... reicientem contraria) et *IV, 14* (cum enim superiores, e quibus etc.), qui duo loci non solum eandem rem tractant, sed etiam multis vocabulis plane congruunt. deinde *II, 35* (Carneadi frui principiis naturalibus etc. et iam antea) re et verbis consentit cum *IV, 15* (tertiam autem omnibus aut maximis rebus eis ... nostra potestate), qui posterior locus luculentissime comprobat, quod supra dixi Ciceronem „frui primis naturalibus“ sive „secundum naturam vivere“ etc. eadem significatione uti.

II, *33* (omne enim animal, simul ortum est etc.). haec autem sententia, quam supra a Stoicis et ab Aristotele expositam vidimus, compluribus locis quarti libri partim eisdem fere partim aliis verbis exposita est ut *IV*, *16* (omnis natura vult esse etc.) et *25* (sed positum sit primum etc.) et *19* (quodve omnem naturam conservatricem etc.) et *34* (quid enim dicis omne animal etc.).

II, *33* ex Antiochi ratione homo dividitur in animum et corpus, quam divisionem etiam *IV*, *16* (iidemque diviserunt etc.) et *25* (ex animo constamus etc.) invenimus.

II, *34* (quod esse volunt e virtute etc.) et *IV*, *26* (ut honeste vivere etc.), ubi eadem ratione „honeste vivere" definitur „e virtute vivendo."

Denique ut demonstravi in secundo et quinto libro nonnullis locis eorundem philosophorum nomina et decreta repeti, ita eosdem philosophos, Pyrrhonem dico, Aristonem, Erillum, Aristotelem, Hieronymum, Calliphontem, Diodorum etiam in quarto libro offendimus (IV, 43. 49. 50 etc. (II, 34. 35. 43)).

Quibus omnibus locis collatis et bene respectis quis dubitare potest, quin II, IV, V libri eidem Antiocho sint tribuendi?

Praeterea inter omnes constat etiam Acad. I ex Antiochi scriptis descripta esse, ut Cicero ipse Acad. I, 12. 13. 14 ostendit. hunc quoque librum cum secundo de fin. contuli, sed similes locos (praeter de fin. II, 33 etc. et Acad. I, 19) propterea invenire non potui, quod aliae res in Acad. I tractantur.

De secundo Tusculanarum disputationum libro.

At non solum in libris qui sunt de finibus, sed etiam in secundo Tusculanarum disputationum libro id, quod Epicurus de summo bono docebat, refutatur. postquam § 13 M (qua littera Marcus, h. e. Cicero significatur) A (quae littera auditorem significat) inter-

rogavit, de qua re disputari vellet, dicit A se dolorem summum malum habere.

Iam supra vidimus Epicurum ut voluptatem summum bonum, ita dolorem summum malum duxisse. quae Epicuri sententia statim a Cicerone ita redarguitur, ut A confiteatur dolorem non summum malum, sed malum esse. toto secundo libro Cicero disputat, sitne dolor malum et quomodo sit ferendus. sed hunc totum librum ita composuit, ut spinas disserendi philosophorum vitaret et rhetorica ratione uteretur. quare plurima exempla ex historia et vita Graecorum et Romanorum excerpta afferuntur (§ 35. 37. 41. 46. 52. 53. 57. 59. 60. 61. 62) et plurimi loci Graecorum et Latinorum poetarum laudantur (§ 19—25. 33. 36. 38. 39. 48—50).

Sed in secundo Tusculanarum disputationum libro non solum eadem res ut in libris de finibus tractatur, sed etiam multae sententiae saepissime eisdem fere verbis expressae reperiuntur, quamquam omnino ratio disserendi valde differt. loci inter se simillimi, quorum magnam partem iam Zietzschmannus (de Tusculanarum disputationum fontibus. Halis Saxon. p. 6) collegit, sunt hi:

Tusc. II, 12. 13 (usque „altera debilis") et de *fin. II,* 81 (enim .... refellatur oratio.

„ 16 (quod huic ... persuaserit) = de fin. II, 40 (quos nisi ... contraria).

„ 16 (quis autem non miser) 17 (exploratum possit esse?) = de fin. II, 92 (quid de dolore ... mali metus).

„ 17 (in Phalaridis ... amarum) = de fin. II, 88 (at eum nihili ... dicturum).

„ 19 = de fin. II, 94.

„ 31 (et 55) (nam dum ... languescet) = de fin. II, 95 (potius ergo ... succumbere).

Tusc. II,	32	(ecquid scis ... te habiturum = de fin. II, 86 (nam si amitti ... beatus esse potest).
„	33	= de fin. II, 94 (idem locus ex Attii fabula Philoctetae affertur).
„	44. 45	confer cum de fin. *II*, 93.
„	46	(volo autem ... summum bonum) = de fin. II, 50 (aut quidquam aliud ... laudabile).
„	45	(quamvis idem praebeat) = de fin. II, 96 (V, 88) (audi quid ... discrepare). iam Madvigius eandem epistulam duobus locis significari dixit.
„	53	(ostendi ... facit) = de fin. II, 95 (virtutis ... solet).
„	58	(sumus enim ... in proeliis) = de fin. II, 56 (ut igitur ... honestatisque causa).
„	58	(sumus ... demoveri) = de fin. II, 113 (ad altiora ... contemptio).
„	59	= de fin. II, 61—62. (eadem exempla Deciorum et Epaminondae laudantur).
„	59. 60	(haec sunt solacia ... saepe prodeunt) = de fin. II, 97 (praeclare mortes moriuntur).
„	63	(sed tamen ... laudetur) = de fin. II, 48 (ut enim ... gloriosum).
„	63	= de fin. II, 49. 50.

Tot locos duorum librorum forte consentire nemo existimabit. apparet Ciceronem in duobus libris conscribendis, quamquam non eodem scripto, tamen libris eiusdem philosophi usum esse. quem fuisse Panaetium Stoicum Zietzchmannus demonstrare studebat (l. l. p. 8 etc.), cum plurimae sententiae secundi Tuscu-

lanarum disputationum libri ex Stoicorum disciplina essent haustae (l. l. p. 12 et seq.).

Sed etiamsi magna pars secundi Tuscul. disput. libri Stoicae disciplinae tribuenda est, tamen fons huius libri ab Antiocho derivari potest. nam nonnullis locis (Ac. II, 67. 132. 143. 97. 137. 133) Cicero Antiochum Stoicum fere philosophum fuisse memoriae tradidit. ubi omnia fere Stoicorum decreta ab Antiocho ita accepta esse demonstratur, ut „si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus nominari posset.“ haec sententia Tusc. II, 9 confirmatur, ubi Cicero sibi Peripateticorum Academiaeque consuetudinem disserendi placere dicit. ita enim Peripateticos et Academicos consentire, quam opinionem falsam quidem Antiochi fuisse supra vidimus. quod vero Tusc. II, 26 Cicero se imitatum Philonem versus orationi admiscere scribit, hic locus premendus est, quod Philo Antiochi magister fuit (Ac. II, 11. 69).

Sed non solum propter causas, quas supra exposui, secundum librum Tusc. disp. a Panaetio abiudicandum esse puto, sed etiam propter Tusc. II, 29. 30: „concludunt ratiunculas Stoici, cur non sit malum, quasi de verbo, non de re laboretur. — quid me decipis, Zeno? nam cum id, quod mihi horribile videtur, tu omnino malum negas esse, capior et scire cupio, quomodo id, quod ego miserrimum existimem, ne malum quidem sit. — nihil est, inquit, malum, nisi quod turpe atque vitiosum est. — ad ineptias redis; illud enim, quod me angebat, eximis; scio dolorem non esse nequitiam; desine id me docere: hoc doce doleam necne doleam nihil interesse. — nunquam quidquam, inquit, ad beate quidem vivendum, quod est in una virtute positum, sed est tamen reiciendum. — cur? — asperum est, contra naturam, difficile perpessu, triste, durum etc.“ quis autem existimabit ullum Stoicum philosophum ita de Zenone, auctore doctrinae Stoicae, unquam iudicasse? quem quamquam Stoici non eadem

prosequebantur veneratione ut suum Epicurei magistrum, quem divinis fere honoribus colebant, tamen minime fieri potuit, ut Panaetius, qui philosophiae Stoicae addictus erat, tam acerbe et graviter vituperaret magistrum. sane Zietschmannus (l. l. p. 14) scripsit: „ceterum minime fuisse inauditam talem recentiorum Stoicorum cum veteribus concertationem, exemplum docet Posidonii, qui apud Galenum perpetua insectatur refutatione Chrysippi de affectibus doctrinam.“ sed Zietzschmannus aliud exemplum „recentiorum Stoicorum“ non attulit, quod tale nusquam invenitur; praeterea illo loco, quem laudavit, Chrysippus, minime Zeno ipse auctor Stoicae philosophiae refutatur ut nostro loco. maximi autem momenti est illud, quod Posidonius, quamquam omnino philosophus Stoicus erat, si doctrinam et decreta eius accurate inspexerimus, vix germanus Stoicus nominari potest. Posidonius enim Platonem admirans commentarium de eius Timaeo scripsit. praeterea non solum Aristotelem diligebat seque cum Pythagora consentire magni faciebat, sed etiam Democritum in philosophorum numero habebat, id quod ante eum Stoici non concesserant (confer locos, quos Zellerus Philos. d. Griech. III, 1, p. 514. ed. II collegit). nemo dicere audebit talem philosophum, qui diversissimas disciplinas coniunxit eorumque auctores admiratus est, Stoicum germanum fuisse. quare fieri potuit, ut Posidonius Chrysippi de affectibus doctrinam reiceret, sed haec refutatio minime conferri potest cum acerba Zenonis vituperatione. Tusc. II, 29.

Etiam Tusc. II, 42 Stoici vituperantur eorumque decretum repudiatur. cum scriptor veteres et recentes Stoicos non dividat, sed omnino omnes reprehendat Stoicos, inde novum sumi potest argumentum, quo Panaetium Stoicum Ciceronis fontem non fuisse comprobetur.

Zenone vero reprehenso quod ita Tusc. II, 30 pergit Cicero: „illud et melius et verius (sc. quam Stoicorum

definitio) omnia, quae natura aspernetur, in malis esse, quae asciscat, in bonis", quis non recordatur hanc doctrinam saepissime ab Antiocho in II, IV, V libro de finibus exponi, omnia animalia, vix nata altera appetere, altera repulsare et ita bona et mala cognosci posse? de fin. II, 33. IV, 25. V, 24 (28) etc.

Deinde Tusc. II, 30 quae legimus: „illud, quod recte amplexantur isti, quod honestum, quod rectum, quod decorum appellamus, quod idem interdum virtutis nomine amplectimur etc.", optime de fin. V, 66 explicantur: „quando quidem honestum aut ipsa virtus est aut res gesta virtute." Tusc. II, 45 (quamvis praebeat etc.) eadem Epicuri epistula est laudata ac de fin. II, 96. V, 88.

Cum autem secundum de finibus librum Antiocho Ascalonitae tribuerimus, sequitur, ut etiam Tuscul. disp. secundus liber ex eiusdem libris haustus sit.

Restant capita 30 et 31 quinti libri Tusc. disp., quae duo capita discrepant et ab antecedentibus, quae e Posidonii scriptis hausta esse videntur, et a sequentibus, quae Zenoni Epicureo tribuenda esse supra demonstravimus. congruunt autem et oratione et rebus ita cum secundo et quinto libro de finibus, ut ea quoque probabile sit vel hausta esse ex Antiochi scriptis vel scripta, cum Antiochi scriptorum recordaretur Cicero: confer

Tusc. V, 30: „sunt autem haec ... defendisse Stoicam" et de fin. II, 35. V, 20.

„ut Peripatetici nec multo veteres Academici secus," quos rebus consentire Antiochus libro confirmare studebat. de nat. d. I, 7, 16. — „praeter Theophrastum et si qui illum etc." et de fin. V, 12. duobus locis Theophrastus propter eandem causam vituperatur.

„eadem Calliphontis erit etc." et de fin. V, 21. 73. 74.